

Verba deo similis, vitæ cum scita beatæ
 Panderet alta novis non sine prodigiis:
Cum tota interea sese glomeraret ab urbe
 Vis circumfusi læta fremens populi,
Clamaretque hominum coetus invisere summo
 Delapsum coeli vertice Atlantiaden,
Dignum aris, templisque, & sacri thuris honore;
 Jamque adeo tauros duceret implicitos
Flore caput, vulgo circum plaudente, sacerdos;
 Ille autem scissis in medios tunicis
Irrueret, coelumque, ac sidera testaretur,
 Se se mortali semine progenitum
Mortalem, ritusque Deum venisse nefandos
 Ut longe ex Asia finibus exigeret,
Utque Deo tandem coeli, terræque potenti
 Cederet æcta procul vana supersticio.
 Hæc fantem adtoniti spectabant; liba, coronæ,
 Et cultri oblitis deciderant manibus.
Cui similem, V... tua hæc te suspicit ætas,
 Tollit & eximiis laudibus astra super:
 Atque sibi gaudet, te saltem nacta quod unum est,
 Quem possit priscis æquiparare viris:
 Ne miseræ male contemptæ turba invida posthac
 Magnorum objectet sæcula Romulidum,
 Nec modo Cecropias fatue dum laudat Athenas,
 Fastu hæc immodico tempora nostra terat.

